



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 2. Fervoris motiva.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79340)

TITULUS III.
FERVOR IN DEI OB-
SEQUIO.

§. I.

Symbola, & Similitudines.

Osculetur me osculo oris sui. Cant. 1. 1. Purgati à peccato, & justificati, petunt osculum Christi; quò scilicet ejus Christus Spiritum S. inhalet; ut à torpore, & vetustate, velut aquilæ renoventur, & in Dei amore accendantur: sicut qui se mutuo osculantur, halitum, spiritumque, suum sibi mutuo afflant, & inspirant. Alludit ad formationem corporis Adam ex limo terræ, quem Deus quasi osculando, inspiravit in faciem ejus spiraculum vite; & factus est homo in animam viventem. Gen. 2. 7. Aut sicut Discipulis insufflavit, dicens: accipite Spiritum S. Joan. 20. 22. Sicut enim anima, dum assumit, & quasi osculatur corpus, ipsum exanime animat, & vivificat sic Spiritus S. gratia, osculans animam, eam vivificat; imò Deificat; facitque eam Dei filiam, & hæredem. Ita S. Ambrosius l. de Iaac, & anima c. 3. Petit sponsi osculum, per quod sibi transfunditur spiritus osculantis. Corn. hic.

Indica mihi - ubi cubes in meridie? Cant. 1. 6. S. Augustinus ep. 48. per meridiem accipit justos; in quibus luce fulgentibus, & charitate ferventibus, quasi in meridie requiescit. Christus in spiritu ferventibus requiescit. S. Justus Orgelitanus Ep. hic.

Current, & non laborabunt, ambulabunt, & non deficiunt. Il 40. 31. Currentes sunt fervidi; qui, præ fervore cursûs, laborem non sentiunt: quia eum amant, & ambiunt. Unde monet Eccl. 31. 27. in omnibus operibus tuis esto velox; & omnis infirmitas non occurret tibi. Corn. hic.

Aquam vinum factam. Jo. 2. 9. Aquam in vinum vertit; quia spiritum, fervoremque, Ecclesia dedit. Cant. 8. 1. quis mihi det te fratrem meum &c. Addit v. 2. & dabo tibi poculum ex vino condito. q. d. si tu Domine venires, esset nobis vinum conditum fervida charitatis. Cum venisset, gloriatur illa: *introduxit me Rex in cellaria.* Cant. 1. 3. Sed jam vinum in aquam videretur mutatum: tantus tepor; acsi Christus non venisset. Olorius D. 2. Epiph.

Musto pleni sunt. Act. 2. 13. Discipuli ab Infidelibus musto ebrii putabantur. Erant quidem ebrii; sed amore, sed spiritu, sed fervore. S. Laurentius Justin. de compunct.

§. II.

Fervoris Motiva

Primum.

Prior tepor, priora peccata.

Qui statim terga verentes percussi sunt à viris urbis Hat. Jos. 7. 4. s. Dux, & principes, jacent proni in terra scillis vestibus. Quid tunc Deus? surge, cur jaces pronus in terra? v. 10. Majoribus deinde viribus hoste aggregiti jubet c. 8. 1. ne timeas, neq. formides; tolle tecum omnem multitudinem pugnantium. Vicit antea hostis; quid ergo? jacebit Josue, & animò contristatus confictum detrectabit? minime; imò majores copias contrahit, & in victorem animosius irruit, vincitque divinò protectus auxilio. Naxera hic. Qui plagam à demone accepit, animum non despondeat, sed actior ad vincendum surgat. §. 26.

Elias projecit se & obdormivit in umbra juniperi. 3. Reg. 19. 5. Glossa moralis: tepor aliquando in Scriptura vocatur sopor. Ab Angelo excitatus sic greffu indefesso cucurrit, ut 40. diebus, & 40. noctibus in fornix, ac jejuniis, ad Dei montem celeri pede contendit. O quam prolis vigilijs compensat somnum! quam restituit celeritati tempus, quod fugæ abulerat! Seneca l. 3. nat. quærit faciamus, quod in itinere fieri solet: qui tardius exierunt, velocitate pensant moram. Naxera in Jos. 16. §. 13.

Lavabo per singulas noctes lectum meum. Psal. 6. 7. Per oculos contra jaculatus est, & lacrymis diabolum convulneravit. Pugnat, ut lacrymis ab offensione se vindicet: lamentando victoriam acquirit, & gemitibus gratiam trahit, luctum luctu medicatur. Vidisti virum optimum fauciatum, nec, accepta plaga, quidquam de strenuitate remittentem? vidisti derepentem succumbentem, & subito emergentem? S. Basilii Seleuc. or. 17.

Tunc surrexit Job, & scidit vestimenta sua. 1. 20. Doloris animus vires, quas quasi amittere ceperat, penitendo conservat. *Tunc surrexit Job.* Sedere enim quiescentis est; assurgere decertantis. Auditis ergo adversis lurgere, est, expertis tentationibus mentem ad certamina robustius parare. Sanctus Gregorius Moral. l. 2. cap. 37.

Sicut fuit sensus vester, ut erraretis à Deo; decies tantum iterum convertentes, requiretis eum. Baruch. 4. 28. q. d. decuplam in obsequio Dei adhibete diligentiam, quam posuistis in offensione. de Ponte de perfect. Chr. hom. c. 19.

§(O)§

Tene.

Tenebra facta sunt. Marci 15. 33. Ergo Sol, qui præter horam, ut Domino compateretur, abcesserat; cum resurgeret Dominus claritate ante tempus occurrit. Et qui, ut suo commoreretur Auctori, ipsam meridianam suam mortificaverat claritatem, evictis tenebris, ut confurgeret auctori suo, antelucanus erupit. S. Chrysol. l. 1. de Resurrect.

Concluserunt piscium multitudinem. Luc. 5. 6. Nocturni laboris jacturam piscatio reparat nomine JESU facta. Quid enim non reparat tanti Præceptoris disciplina? Bæza t. 2. l. 11. c. 4. §. 8.

Elegit duodecim ex ipsis, quos & Apostolos nominavit. Luc. 6. 13. Cur duodecim? S. Ambros. ad 2. Luc. à duodecimo anno sumitur Dominicæ disputationis exordium. Hic prædicandæ fidei Evangelizantium numerus debebatur. q. d. duodecim Apostolos eligit, quia usque ad duodecimum annum non inceperat divinæ Sapientiæ luce illustrare. Naxera in Jos. 2. §. 40. Virtuti rellituat industria, siquid temporis suffuratur offensa, aut otiosa negavit infantia. Id. ib.

Fides tua te salvam fecit. Luc. 7. 50. Vifa est poenitens mœstissima absolventis verba non percepisse: nam quasi Christus illi bellum indixisset, non pacem dedisset; ab eo tempore in sese immiseriors sævit; & ætate meliorem lugendo contumaciâ in Bethania, & Calvario, in Speluncam Massiliensem se abdidit, ubi per totos triginta annos omni martyrii genere se cruciavit. Veterum delictorum memoria stimulus fit fervoris. S. Gregorius hom. 33. in Evang. consideravit quod fecit; & noluit moderari quid faceret. Olivat. 2. con. 2. in festo Im. Conc.

Fidelior factus est Petrus, postquam fidem se perdidisse deservit; atque idem majorem gratiam reperit, quam amisit. S. Maximus hom. 4. de S. Petro.

Anima, quæ viriliter pugnare cœperit, rursusque debilitata cesserit; antiquæ virtutis, & studij memoriâ, quasi stimulo quodam, & flagellô, vulneratur: atque ex hoc nonnunquam plurimi pristinum vigorem receperunt, prioresq; pennas resumpserunt. Joannes Climacus gradu I. de inanis vitæ fuga.

Secundum

Brevis fervor melior longô tepore.

Consummatus in brevi explevis tempora multa. Sap. 4. 13.

Quid hieftatis totâ die otiosi? &c. Matth. 20. 12. Si tota propè dies transacta otio, cur tandem mittuntur in vineam, quando brevissimum laborandi tempus restat? Insuper mittuntur nullâ conducti mercede: nihil enim illis, ut reliquis, promittit. An quia in tantis angustiis temporis impossibile erat mercedem aliquam consequi? Imò nulla mercedis nova mentio fit: ut sciant, primam diurni laboris mercedem omnibus esse propositam; tam his, qui multum; quam his, qui parvum tempus laborandi habent: ut quisque in brevi possit refarcire plures annos inutiliter amissos. Origenes hom. 10. poterant æquale

opus facere eis, qui ex manè sunt operati, quicunque in tempore brevi volebant operantem virtutem ad opus extendere, quæ antea non fuerat operata. Bæza t. 2. l. 11. c. 4. §. 8. Parabola hæc ostendit; mercedem vitæ æternæ non temporari, quò quis laboravit, respondere, sed labori, & operi, quod fecit: potest enim quis fervore suo consummatus in brevi expleve tempora multa. Barradius hic tomo 3. lib. 5. cap. 16.

Hi novissimi unâ horâ fecerunt. lb. Præmia non antiquitatis, sed actionum, & meritum, jura debent aspicere. S. Anselmus: *pares illos nobis fecisti, qui portavimus pondus diei, & astus.* q. d. qui diu sub onere legis fuimus. Fuistis diu sub legis onere; sed non aded exactè legem implevistis, ac illi, qui unâ horâ fecerunt; id est, qui consummati in brevi expleverunt tempora multa. Escobar t. 6. Parab. Chr. lect. 5. obi. 3.

Amice, non facio tibi injuriam. ib. q. d. nulli injuriam facio; sed pro cuiusque meritis mercedem rependo: quia hi senes unâ horâ tantum tolerarunt, quantum vos totò vitæ spatio. Ex quo patet, senectutem aptissimam esse humanæ vitæ portionem ad studium pietatis; aded, ut in senectute facile refarcire possis, quod reliquis vitæ partibus neglectum est. Pinna in Eccl. Ethol. 82.

Erunt novissimi primi. ib. quia in DEI servitio non tam attenditur quantitas temporis, quam fervoris, & diligentie. Non ergo superbiunt, qui in juventute vocati sunt, & longò tempore servierunt; nec diffidunt, qui in senectute redeunt ad DEum: nam si diligentes fuerint, poterunt & alios superare. S. Thomas Villan. D. Septuages.

Juitè pater plus fecit filio prodigo, Luc. 15. 22. quia post lapsum tantò fervore surrexit, ut brevi illò spatio plus sit meritis, quam filius senior multorum annorum obsequiò tepidò. Stella p. 3. c. 68.

Sollicitudine non pigri spiritu ferventes, Domino servientes. Rom. 12. 11. Parvum tempus fuit, quò latro in cruce Christo servivit; tamen propter fervidam diligentiam, quâ Deo mirè placuit, amplissimam retributionem accepit. Idem in Lucam in Præfat.

Noli fidem pensare temporibus. Nè me idcirco meliorem putes, quòd prior in Christi exercitu cœperim militare. Paulus Apostolus, & vas electionis, de persecutore mutatus, novissimus in ordine, primus in meritis est: qui, extremus licèt, plus omnibus laboravit. 1. Cor. 15. 10. Subitus calor longum vincit teporem. S. Hieronymus ep. 13. ad Paulinum de institut. Monachi.

Tertium

Brevitas vitæ suadet fervorem.

Viam mandatorum suorum cucurri. Pl. 118. 32. Bene ait Propheta, *cucurri*: non est pigritandum, cum dies sit parva, & diæta magna; nec sit infra paradisum mansio secunda. Gerson in festo Purif. Lect. 2.

Hi novissimi unâ horâ fecerunt &c. Matth. 20. 12. S. Chrylost. ait primos operarios fuisse ex primorum Saeculorum iustis, quorum erat vita diuturnior; postremis autem designatos Sanctos, & servos Legis gratiâ, quorum vita brevior. Primos operarios, ait Chrylostomus, quodammodo negligentes faciebat circa iustitiam, & refrigerare faciebat animas eorum expectatio Saeculi longioris; & illis infrigidatio erat, cognoscere Mundi spatia esse longinqua. Hæc ille in imperf. Postremi seipos incitârunt vitæ brevitate. Vide, quàm tepesciat corda fragilitatis propriæ neglecta memoria; quàm verò fervorem accendat vitæ brevis recordatio. Didacus Niss. f. 5. D. 4. Quadr. §. 3.

Ambulate, dum lucem habetis. Jo. 12. 35. Quàm est vitæ nostræ cursus perennis, tam nunquam debemus in virtutis stadio subsistere quieti. Jubet Christus ambulare constanter, dum lucem habemus. Nec enim decet, ut minus aliquid habeat vita Spiritus, & animæ; quàm vita corporis, aut carnis. Et cum hæc jugi cursu pergat, donec metâ suæ terminum attingat; non debet illa in gradu suo hære. Didacus Niss. f. 6. D. 5. Quadr.

Quartum

Exempla.

Ipsè verò portabat in manibus ignem, & gladium. Gen. 22. 6. Cur Abraham igne, & gladiò, utramque occupat manum? cur non in una utrumque? Sacerdotisungebatur officio. S. Zeno Veron. serm. de Abrah. nec deest ad ministerium gladius, ut pater esset pariter, & Sacerdos; vult omnem operationem, & conatum, divino obsequio esse dicatum. De Castillo. Illat. 278.

Emerunt aromata. Marci 16. 1. Nonne hæc femina sciebant, Christum à Joseph, & Nicodemo, esse unctum magnâ unguenti copîâ? cur ergo jam sic unctum ungere volunt? Amor id faciebat; cui nihil nimium est, quod honori Domini impenditur. Barradius t. 4. l. 8. c. 1.

Valde manè unâ sabbatorum. Marci 16. 2. Fervor animi illarum mulierum demonstratur in hoc, quòd valde manè ad sepulchrum Domini venerunt, ut ungerent Corpus ejus. Nisi enim valde dilexissent, nequaquam tam manè ad monumentum venissent. Haymo hom. in Dom. Paschæ.

Ipsè verò multò magis clamabat. Luc. 18. 39. Fervor quidam intrinsecus instimulabat eum: idcirco JESUS jussit illum adduci ad se; quòd profectò dignus esset, qui appropinquaret ei. Cum interrogasset, & comperisset, eum recipiendi visus valde cupidum; dat, quod petit. Theophylactus hic.

Quintum

Fac, quod potes.

Quodcumq; facere potest manus tua, instanter operare. Ecclæ. 9. 10. Hebr. in virtute tuâ; id est, totis viribus, & totò conatu, operare. Ità S. Cassius Narniensis Ep. teste S.

Gregoriò 4. dialog. c. 16. Paulò ante mortem à DEO audit: age, quod agis; operare, quod operaris: non cesset manus tua, non cesset pes tuus. Natali Apostolorum venies ad me, & retribuam tibi mercedem tuam. Cornelius hic.

Curremus in odorem unguentorum tuorum. Cant. 1. 3. Exiguum videtur, quod Sponsa petit. Cur solò odore contenta non ipsa petit unguenta? vult dicere: quia reipsum non datur amplecti, interea odor nominis sui mecum ex desiderio pernoctabit. S. Ambros. in Pl. 1. 8. octon. 7. v. 1. Simons esse non potes, nec prævales; esto vel collis. Seneca l. de tranq. c. 3. miles, præcisus quoque manibus, in prælio invenit, quod patribus conferat; & clamore juvat. Didacus Niss. Vita Abrah. l. 5. c. 1.

Ponam in deserto abietem, ulmum &c. II. 41. 19. Ulmus vitem cum fructu suo sustentare solet. S. Gregorius hom. 19. in Evang. Loquitur ex more Palæstinae, & Italiae, ubi ulmis vites nubunt, maritasque complexus per ramos earum procacibus brachiis genicularò cursu scandentes cacumina sensim petunt. Ulmus, cum botros non producat, facit, quod potest; id è Deo gratia. Id. ib.

§. III.

Varia alia motiva

Ex Veteri, Novo, Patribus, & aliis.

Sic dicitis viris, qui sunt in Fales Galad: cras eris vobis salus, cum incaluerit Sol. 1. Reg. 11. 9. Cum mens per desidiâ tepescit, & jam in se reverfa, ad Conditoris sui desiderium recalescit; cum torpore negligentia deserit, & frigus insensibilitatis pristinae flamma sancti amoris accendit; tunc velut incœscente sole victoria de hostibus sumitur, & obfusa civitas de superbi regis manibus liberatur. Petrus Damiani l. 6. ep. 5.

Vinea florentes dederunt odorem suum. Cant. 2. 13. Ajunt, florentibus vineis omne reptile venenatum cedere locò; nec ullatenus novorum ferre odorem florum. Quod volo attendant Novitij nostri; & fiducialiter agant; cogitantes, qualem Spiritum acceperant, cujus primitias dæmones non sustinent. Si sic Novitius fervor, quid erit absoluta perfectio? S. Bernardus l. 60. in Cant.

Benedicite ignis, & æstus Domino! benedicite gelu, & frigus Domino! Dan. 3. 66. 67. 69. Æstas, & hyems in chorum evocantur, ut DEO psallant; ver floribus renidens non inducitur: quin & aurora à cœtu psallentium excluditur. Nimirum, quæ in confinio virtutis, vitique, sunt, ea cœlo non probantur. Mavult ædenago frigus, quàm teporem; mavult æstum, quàm remissioem anni partem autumnum. Tenebras audies concinentes cum pueris in fornace, non admisso crepulo in odeum; benedicite lux, & tenebræ Domino. v. 72. Oliva l. 6. Strom. hic.